

Actus Apostolici veniunt post *Pascha* legendi.  
Hinc Apocalipsim lege, Canonicaeque vicissim.  
Post *Pentecosten* Regum liber exit in hostem.  
Inde per *Augustum* Tibi dat Sapiencia gustum.  
Cantat *September* Job, Tobiam, Judith, Esther.  
*Octobri* mense Machabæa Trophæa recense.  
Ezechiel, Daniel, durabunt *mensè* Novembri.  
Tunc quoque fac repetas bis sex in fine Prophetas.

### Numerus Psalmorum & Versuum Davidicorum.

**T**Er Quinquagenos David canit ordine Psalmos:  
Versus sex mille & sexcentos sex facit ille.

#### *Horæ qualiter dicendæ.*

**C**Anonicas horas devotè si legis, oras.  
Littera neglecta, vel syllaba murmure tecta,  
Dictio non recta, si sit male lectio lecta;  
Colligit hæc Sathanas, si non cum corde laboras:  
Fragmina verborum Titivillus colligit horum;  
Quaque die mille, vicibus se sarcinat ille.

#### *Clerico orandum, non vagandum.*

**Q**uid facis extra chorum, qui debitor Officiorum  
Es Divinorum? cur induis acta vagorum?  
Deine stare foras, quia Christus ponderat horas,  
Et numerando moras distinguit qualiter oras.

#### *Decem Plagæ Ægyptiaca.*

**P**Rima rubens unda est, ranarum plaga secunda,  
Inde culex tristis, post musca nocentior istis:  
Quinta pecus stravit, vesicas sexta creavit.